

Nr. Verzeich.

1. Müllschmidt
2. Martini
3. Reichart
4. Blair
5. Fackner
6. Wilmvogel
7. Zepher
8. Zepher
9. Heberer
10. Kuttich
11. Sulingen
12. Beckmann
13. a. Lode
14. Born
15. Bartsch
16. Tollmann
17. Borchner
18. Cuius
19. Pato
20. Eyben
21. Wilmvogel
22. Schubert
23. Heberer
24. Giffere
25. Wosten
26. Bork
27. Schupfer



Eckold in Cl
Zahn in Cl

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE
EO QVOD OB SPECIES
NOVITER REPERTAS
CIRCA ⁵⁰
TRANSACTIONES IVRIS EST

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
IQ. AVGVSTO HELLFELD, D.
ICTO AC PROFESSORE PVBL. ORDIN.
CONSIL. AVL. SAXON. CVRIAE PROVINC. ET FACVLT. IVRID. ADSESS
VT ET COLLEGII SCABIN. SENIORE GRAVISSIMO
PRAECEPTORE ATQVE PATRONO PIE COLENDO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
OBTINENDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
AD DIEM II. MAII MDCCCCLIX.
SVMMITTIT
A V C T O R
GABRIEL CHRISTOPHORVS LEMKE
VISMARIENSIS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS. (7)

DE
EO QVOD OR STELLER
NOVITER REPERTAS
VIRGA
TRANSACTIONES VIRIST

UNIVERSITATIS DIVINAE GRATIA
EX DECRO TO HAVSRISSACVATAS VIRIST
P R A E S I D E
VIRO HUVSRIET ET EXCELLENTISSIMO
IO AVGVSTO HELLEBD. D.
ICIO AC PROFESSORE IVBE ORDIN
CONSIL AVI SAKON GVMAE PROVIC ET FACVET IVRID KOSIEN
VT ET COLLEGIUM SCAM SENSIS CRASSISSIMO
PRAECEPTORIS ALOVE PATRONO PIS COLLEND

P R O A L I E W T A
SYMPOS IN VTROQUE IVRE HONORIS
QVOTIENDI
REVERENDAE ERVDICIONVM HONORIFICATIONI
AD. HON. DE MAIL OLSOCH
S E M I T T I T
A N T O R
GABRIEL CHRISTOPHORUS L. M. A.
I N A E L I T E R I S S O C I I



eoru
impe
uerf
tium
exig





PROOEMIUM.

INTER alia remedia, quibus lites mortali-
um finiri possunt, sine dubio est prin-
ceps, transactio. Quo enim pacto non
solum litigantium iracundia motusque
evitantur inimici, sed quoque bonis
eorum succurritur, quo minus litis distensione eiusque
impensis ea distraherentur. Quem praeterit, vix contro-
versiam causae civilis agi quandam, quae non litigan-
tium turbet animos, efficiatque, ut alter odio haud
exiguo alterum disceptantium persequatur? Cui
A igno-



ignotum? lites in foro Iuris communis saepenumero, ita procrastinari et prolatari, vt haud raro bona litigantium maiora in bono ope excussionis litis adquirendo minori consumantur. Quem fugit transactionem haec mala faciliore tollere negotio, quam si eligis ordinem procedendi, quem vocant, processum ordinarium? Quare non a vero aliena est eorum sententia, qui contendunt, vtilitatem partium esse rationem, cur in Iure transactio nanciscatur valorem sententiae latae ideoque rescissio transactionis non facile sit concedenda. Cum igitur iura transactioni ferme maiorem vim obligandi quam pacto adscribere videantur, haud difficile perspectu est, cur Icti de eo, quod iuris est, circa transactionem ob species nouiter existentes seu repertas admodum dissentiant. Quo circa meum consilium animi eo redit, vt, quantum per mearum virium imbecillitatem fieri potest, probem, transactionem ob repertas seu nouiter existentes species haud raro nulum habere valorem.



§. I.

Verbum transigere est ancipiti significatione.

TRANSIGERE denotat ultra agere. Cum vero ultra agendo res tandem perficitur, hac ratione vocabulum transigere hanc nactum est significationem, ut idem sit, ac absoluere *. Iam vero res dubiae absoluuntur, si non amplius sunt tales. Quo circa haud raro a veteribus res dubiae transigi dicuntur. Hinc quoque non difficile est perspectu, transigere non solum denotare decidere **, sed et finire *** rem dubiam, litigiosam eamque componere * eo consilio, ut quisque litigantium non nihil remittat, hacque ratione litis euitentur sumtus.

* PLAVT Amph. de *transact.*

** L. 17. de *transact.*

*** L. 18. §. 4. D. de *dol. mal.*

* L. 1. D. de *transaction.*

§. II.

Quid sit pactum onerosum.

Omnis conventio efficit obligationem ad aliquid praestandum. Hanc vero alter vel ex mera liberalitate, vel ea lege suscipit, ut alter quoque ad aliquid praestandum se obliget. Prioris generis conventiones beneficae, posterioris onerosae vocari solent. Inde conventiones onerosae sunt conventiones ex quarum initio uterque pacifcentium ad aliquid praestandum se obligat.

A 2

§. III.



§. III.

Definitio transactionis explicatur.

TRANSACTIONO est conuentio * onerosa, ** qua res dubia *** deciditur. † Omnis igitur transactio fit 1) per conuentionem onerosam, et 2) rem dubiam decidit.

* quod transactio fit conuentio, probat L. 15. C. de *transacionibus* L. 17. et 28. C. eodem.

** fit enim transactio aliquo vtrunque dato, retento vel promisso L. 38. C. de *transacionibus* et quando ex vna quidem parte non vero ex altera aliquid praestatur, non est transactio. GUNDLING de *transact. stabil. et instabilitate* §. 4. HVBCK *praelect. ad Pand. tit. de transact. §. 2.* a LEYSER *spec. 47. med 6.*

*** transactionem semper praepone rem dubiam et incertam, de qua lis vel est, vel fieri potest, docet L. 1. D. de *transact.* L. 2. C. eod. vbi igitur nulla res dubia, ibi quoque nulla transactio.

† Sic transactio litis decisa vocatur in L. 3. §. 1. D. ad L. *Falcidiam* et L. 17. C. de *transacionibus*.

§. IV.

Quicquid consensum impedit, impedit transactionem:

Transactio est conuentio (§. 3.) inde perficitur consensu eoque vero ac libero. Quicquid igitur consensum impedit, impedit quoque transactionis valorem. Porro cum transactio sit conuentio onerosa (§. 3.), vterque transigentium obligatur ad aliquid praestandum (§. 2.), quod fit per remissionem de praetensionibus vtrunque factam, seu, vt leges loquuntur: dato aliquo, retento seu promisso *. Non igitur



tur procedit transactio, quae fit nullo dato, retento, vel promisso **.

* L. 38. C. de *transacionibus*.

** L. 3. C. de *repudianda vel abstin. heredit.*

§. V.

Transactio est conuentio bilateralis.

Conuentiones ex quibus vterque ad aliquid praestandum obligatur, dicuntur bilaterales (per notor). Ex transactione vterque transigentium obligatur (§. 4.). Ergo transactio conuentionibus bilateralibus recte annumeratur.

§. VI.

Transactio fit vel nudo pacto vel non nudo.

Transactio est conuentio bilateralis (§. 5.), sicuti vero conuentiones apud Romanos fiunt vel pacto vel contractu (per notor) ita quoque transigi poterat mediante pacto vel contractu. In se transactiones Romanis nuda erant pacta *, quae non actionem **, sed exceptionem litis ingressum vel eius continuationem impediendam *** producebant. Ast accedente stipulatione, eaque vel simplici vel Aquiliana, in contractum nominatum *, et implemento ex vna parte secuto, in contractum innominatum ** transibant. Haec tamen subtilitates Germani haud curant, quippe qui regulam seruant, omnia pacta, quae deliberato animo ex iusta causa de obiecto licito inita sunt, esse obligatoria,



gatoria, et actionem aequae ac exceptionem producere ***.
Parum igitur refert, an transactio apud nos nudo pacto,
vel contractu nominato, aut innominato fit inita, dum ubique
plenos iuris producat effectus *.

* L. 1. et 15. D. de *transacionibus*.

** L. 28. C. eodem. HUBER *praelection ad Pandect. h. t. §. 12.*
GERARD NOODT *de pactis et transacion. c. XIV.* si vero alter
transacionis fidem non seruat, alter instituere potest actionem
pacto transacionis remissam, et exceptionem transacionis a reo
oppositam replica doli elidere. L. 28. C. de *transacion.*

*** L. 21. C. de *transacionibus*.

* L. 2. et 15. D. et L. 4. 6. et 33. C. eodem.

** L. 6. et 33. C. eodem. Ast nostrae ob stare videtur sententiae na-
tura contractuum innominatorum, quippe quae ea est, ut in iis
poenitentiae locus detur, facta vero transacione non permittitur
poenitere L. 39. C. de *transacionibus*. Ast poenitentia, quae in
contractibus innominatis locum habet, iure Romano ad id solum
prodest, ut causam datam ob causam non secutam condicere liceat.
Minime vero poenitentia conuentio reddi potest nulla. Inde
allegata L. 39. nostrae non obstat sententiae, dum in ea solum
dicitur, quod poenitentia non rescindat transacionem, quod recte
se habet. Nam quamvis in contractibus innominatis aliquis poe-
nitere et data condicere queat, nihilominus tamen pactum in se
non rescinditur, sed exceptio inde oriunda est salua. adde L. 21.
et 28. C. de *transacionibus*.

*** BEYER *possi. ad Pandectas tit. de pactis pr. HEINECCIUS Elem.*
Pandectar. P. I. §. 374.

* SCHILTER *exercitat. Pand. IX. §. 3.*

§. VII.



§. VII.

Quomodo ob dolum transactionem retractare liceat.

Quicquid consensum impedit, transactionem quoque nullam reddit (§. 4.). Nulla igitur est transactio, cui dolum causam dedit *. Sic pactiones et transactiones ex falsitate instrumentis retractari possunt **, quamvis iuramento fuerint confirmatae, nec renuntiatio doli tempore transactionis latentis retractationem impedit ***. Equidem iure civili stricte sic dicto dolum non simpliciter nullam efficit transactionem. Fit enim transactio vel mediante stipulatione (§. 6.) Aquiliana et acceptilatione, vel nudo pacto. Priori casu, actio de qua transactum, ipso iure tollitur †, et amissa per dolum non nisi restitutionis ex capite doli beneficio seu doli actione potest institui. Posteriori vero casu pristina manet actio, qua instituta, opposita transactionis exceptio mediante doli replica eliditur ††. Ast hae tricae rem ipsam non mutant. Cum sufficiat, corrumpere transactionem dolo elicitam, et in effectu perinde est, siue transactionem pro nulla habeas, siue eam mediante doli actione seu doli replica elisam statuas.

* L. 9. §. 2. D. et L. 4. C. de transactionibus.

** L. 42. C. de transact.

*** WERNHER *observat. P. I. observat. 98.* adde L. 23. D. de R. I.

† L. 4. D. et L. 32. C. de transactionibus.

†† L. 4. et 19. C. de transact.

§. VIII.



§. VIII.

Error quoque transactioni potest nocere.

Error est falsa rei cognitio, seu, vt alii, definiunt, confusio verorum cum falsis. Errans igitur rem talem, qualis reuera est, sibi non repraesentat, et sic in rem, quae est, non consentit. Hinc error regulariter impedit consensum*, et transactionem vitiat**. Quamuis enim videri posset, errorem in transactionibus respici haud posse, quum vix sine errore transactionem concipere liceat, quippe quae semper rem dubiam praeponit (§. 3.), et hanc ob causam necesse quodammodo est, vt vnus versetur in ignorantia et errore. Proinde admissio principio, quod error transactionem inualidam reddere possit, nulla forsan stabit transactio. Ast salua res est. Non omnes, qui transigunt, errant. Causa dubia, quam transactio requirit, non in eo consistit, vt transigens de re, eiusque iure, sit dubius, sed solum in eo, vt de re lis moueri queat.

* L. 116. §. 2. de Reg. Iur. *Non videntur, qui errant, consentire* L. 20. D. de aqua et aqua pluua.

** L. 29. et 42. C. de transactionibus.

§. IX.

Difficilis doctrina, quatenus error transactionibus noceat.

Minime tamen quilibet error ad transactionem inframandam sufficit. Ast in quibusnam casibus ille noceat, in diuerfas



diuerſas abeunt ictorum ſententiae, rem magis per ſpecialis caſus, quam generalibus regulis exponentes *. Breuiter hic ſe expedit SCHILTERVS **. Breuiores adhuc ſunt SCHAVMBVRGIVS *** et BOEHMERVS *. Paulo vberior rem exponit GVNDLINGIUS **, verbis: *quare tota quaestio, (de errore in tranſigendo commiſſo) eo redit: an, quia putarunt ſubeſſe litem vel dubium ac incertum, quum re ipſa in praeſenti, quando tranſigitur, nulla ſubſit, ob ignorantiam huius rei ab obligatione ſibi impoſita liberari queant? Et putem. In hunc enim errorem nemo conſentit propter naturam tranſactionis, nec conſentire poteſt; eoque relinquitur, vt error de incerto ac controuerſo vitiet totam tranſactionis compagem.* Per varias diſtinctiones rem conſicere voluerunt, BECHMANN *** et L. B. de COCCEII *. Aſt nec hae omnem tolerant difficultatem.

* In doctrina de errore multa adhuc ſuperſeſſe dubia, obſeruant GVNDLINGIANA p. XXXIII. obſ. 1. quae ſimul hancce difficilem illuſtrant materiam.

** Exercitat. ad Digefſta IX. §. 4.

*** compend. Digefſt. tit. de tranſact. §. 2.

* intr. in ius Digefſt. tit. de tranſact. §. 3.

** diſſ. de ſtabilitate et inſtabilitate tranſact. §. 7.

*** de reſcindenda tranſactione cap. II.

* in diſſertat. prooem. ad GROTIVM diſſ. XII. §. 417.

B

§. X.



§. X.

Quoad errorem in conuentionibus admissum varii distinguendi casus. Quorum primus est, si vterque pacifcentium errat.

Legum nostrarum compilatoribus non placuit certas tradere regulas, quibus erroris sufficienter diiudicari posset materia, sed solum rem omnem exemplis leges illustrant propositis. Imo, vt nobis videtur, Icti Romani ne quidem in singularium casuum decisionibus vbique constantem et perpetuam seruarunt regulam *. In re igitur tam ardua nostra eo redit sententia. Erroris quaestio occurrit vel in conuentionibus, vel in negotiis, quae ad conuentionum genera referri nequeunt. De his in praesenti nobis non est sermo. Quod vero ad errorem in conuentionibus commissum attinet, rursus diuersi separandi veniunt casus. Aut enim vterque pacifcentium errat, aut non. Si vterque pacifcentium in errore versatur; aut intuitu rei, seu eorum, quae negotii essentiam constituunt, se exserit error, vel non. Priori casu vterque de rebus cogitat diuersis et sic vtriusque voluntas non tendit ad idem. Hinc deficit consensus vtriusque, cuius defectus efficit, vt nulla sit conuentio. In omnibus enim negotiis contrahendis siue bona fide sint, siue non sint, si error aliquis interuenit, vt aliud sentiat, (puta) qui emit, aut qui conducit, aliud qui cum his contrahit,



trahit, nihil valet, quod acti sint **. Sic, si hominem stipulatus sim, et ego de alio sensero, tu de alio; nihil actum est ***. Si mensam argento coopertam ignorantem pro solida vendidit imprudens, nulla est emptio ****. Si ego pecuniam, tibi quasi donaturus dederam, tu quasi mutuum accipias, nec donatio nec mutuum est †. Alia vero ratio est, si ex utraque parte consensus adsit intuitu rei seu negotii principalis, et error solum commissus in iis, ad quae in conventionem paciscentium voluntas, vel plane non, vel non principaliter est directa. Nam hoc casu subsistit conventio, et error, quia non deficit consensus, in re principali allegari haud potest. Sic quando in nomine dissentiamus, verum de corpore constet, nulla dubitatio est, quin valeat emptio venditio: nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat ††. Porro, cum me virginem emere putarem, cum esset mulier, emptio valebit †††. Simili modo, qui in translationem domini consentit, quamvis in titulo erret, transfert dominium ††††. Deinde si in emptio- ne venditione fundi dictum sit, accedere servum Stichum, neque intelligitur, quis ex pluribus accesserit, cum de alio emptor, de alio venditor senserit, nihilominus fundi venditionem valere constat *. Insuper quoque notandum est, eum, qui ex natura conventionis, vel speciali promissione ad certam rei qualitatem praestandam obligatus est, ad



obligationis teneri implementum, vel ad id quod interest, quamuis vterque intuitu qualitatis errauerit **.

* quae iam obseruauit GUNDLINGIVS in *Gundlingianis* p. XXXIII. obs. 1. §. 20.

** L. 57. de *obligat. ex action.*

*** L. 137. et 83. §. 1. D. de V. O. L. 9. pr. D. de *contrabenda E. V.*

**** L. 41. §. 1. de *contrab. E. V.*

† L. 18. D. de *rebus creditis* obstare quidem videtur L. 36. D. de *acquirendo rerum dominio*. Ast prior lex de valore conuentionis, posterior de stabilitate traditionis disponit. prout docuit AVERANIVS *interpr.* lib. XXVII.

†† L. 9. §. 2. de *contrab. E. V.* L. 32. de V. O.

††† L. 11. §. 1. D. eodem.

†††† L. 36. D. de *acquirendo rerum dominio*.

* L. 34. D. de *contrab. E. V.*

** L. 21. §. 1. de *A. E. V.* L. 45. D. de *contr. E. V.*

§. XI.

Secundus casus est, si vnus ex paciscentibus alterum in errorem induxit.

Alia vero ratio est, si vnus ex paciscentibus errauit, non vero alter. Nam hoc casu alteri aut errantis intentio fuit cognita, aut non. Priori casu is, qui alterius errorem haud ignorat, ast nihilominus veram rei seu negotii, quae latet, qualitatem dissimulat, dolose agit *, et conuentionio, si dolus ei causam dedit, non solum ex parte laesi nulla est, sed quoque efficit, vt actio ad id quod interest locum habeat



beat **. Ob incidentem vero dolum falua conuentione
laesus ad id quod interest agit ***.

* L. 43. §. 2. de *contrab. E. V.* L. 22. de V. O.

** L. 62. §. 1. de *contrab. E. V.*

*** L. 57. §. 2. eodem. adde *Illustr. DAN. NETTELBLADT differr.*
de doli incidentis et causam dantis in contractibus effectu §. 16. lqq.

§. XII.

*Tertius casus, si vnus ex paciscentibus errat circa
rei existentiam.*

Si vero alterius errorem in paciscendo commissum igno-
raui, tunc error, aut quoad rei existentiam se exserit, vel
non. Illo casu error, quo existere putauit rem, quae non
existit, non nocet erranti. Nam etsi consensum fuerit in
corpore, id tamen ante venditionem esse desierit, nulla est
emtio *, nec potest emtio intelligi sine re. Res vero non
est, quae talis esse desiit et non amplius in rerum natura
existit **. Hinc, qui ex testamento, quod validum putauit,
legata vel aliud quid soluit, si postea testamentum falsum,
irritum, ruptum apparuerit, soluta condicere potest ***,
indebite enim soluit, dum non existunt tabulae, ex quibus
alteri solutio fieri potuit. Porro dominus, qui cum seruo,
quem per errorem liberum esse credit, paciscitur et tran-
sigit, non obligatur ****. Simili modo, si per errorem alius
pro praetore fuerit aditus, nihil valebit, quod actum. Non



enim existit, quam existere putauit errans, iurisdicção †. Sic conditionem earum rerum, quae ex diuisione ei cesserunt, qui pro coherede erronee est habitus, heredi competere, recte dicitur ††. Idem quoque iuris est, si res in conuentionem deducta in se quidem existit, ast non talis, qualis principaliter in paciscentium fuit intentione. Nam sufficit eam rem non existere, de qua contractum. Inde si rem meam mihi ignoranti vendideris et iussu meo alii tradideris, dominium meum non transit, quoniam mihi hocce non fuit propositum, sed tuum volui transire dominium, et tuam rem alienari. Haec vero non existit, et ideo transferri nequit †††. Interim tamen is, qui sciens rem non existentem ignoranti in conuentione onerosa promissit, ad interesse tenetur (§. XI.).

* L. 15. de *contrabenda E. V.*

** L. 8. D. eodem.

*** L. 2. et 3. D. de *conditione indebiti.*

**** L. 13. C. de *transactionibus.*

† L. 15. D. de *iurisd.* et L. 2. pr. de *iudiciis.*

†† L. 36. D. *familiae erciscundae.*

††† L. 15. §. 2. D. de *contrabenda E. V.* Inde si ex natura negotii certa rei qualitas principaliter est in contrahentium intentione, errans non tenetur, deficiente hac qualitate. Hinc qui virginem sibi desponsari putat, et corruptam inuenit, ob errorem non obligatur
C. 1. 6. 19. qu. 1.

§. XIII.



§. XIII.

Quartus casus, quo errans euitare potuit ac debuit errorem.

Deinde errore circa rei existentiam deficiente, in quaestione, quatenus noceat error? rursus distinguendum erit, an errans commissum errorem euitare potuerit et debuerit, an non? Error, qui euitari potuit et debuit, est voluntarius *, et sic merito erranti nocet. Pendet enim ab errantis voluntate, errorem, quem fugere potest, euitare. Quem si non fugit, cum tamen hoc facere debuit, culpam committit, et damnum, quod ex huiusmodi errore sentit, sentire non videtur **. Sic emtor errans in iis, quae in sensus incurrunt, et facile detegi possunt, errorem allegare et emtionem impugnare nequit cum effectu ***. Qui errore inductus equum sibi necessarium interiisse putat, et alium emit, errore postea cognito, a contractu recedere nequit. Culpa enim est, errorem non euitasse, qui euitari potuit et debuit, ac proinde damnum inde ortum errans emtor, non venditor ferre tenetur †. Qui uxorem ducit, quam diuitem putauit, detecto licet errore, a sponsalibus recedere nequit alias valide celebratis. Nam errorem commisit, quem vitare potuit et debuit ††. Nec obstat, quod errantis non sit consensus. Nam voluntario errans consentit omnino, quamuis non directo, tamen per indirectum.

* error,



* error, cui non restititur, approbatur c. 3. dist. 83.

** L. 203. de R. I.

*** L. 14. §. fin. de edicto aedilic. L. 43. de contrah. E. V.

† GYNDLINGIANA P. 33, obl. 1. §. 12.

†† c. 1. C. 29. qu. 1.

§. XIV.

*Vltimus casus est, quo error evitari haud potuit
ab errante.*

Transimus ad vltimum casum, quo nempe error in conventionem admittitur evitari haud potuit ab errante. Et in hoc casu error commissus in iis, quae ad contractus essentiam pertinent, non nocet erranti *. Impedit enim in substantialibus error consensum, quoad totam conventionem et erranti, qui evitare non potuit errorem, nec dolus nec culpa imputari potest. Hinc corrumpitur conventio ob huiusmodi errorem. Aliter vero res se habet, si consensus in essentialibus adsit, et solum in iis, quae essentiam conventionis non ingrediuntur, aut non principaliter in intentione contrahentium sunt, error committitur. Nam hoc casu subsistit conventio.

* L. 9. de contrahenda E. V. l. 14. D. eodem L. 21. §. 3. D. action. E. V.

§. XV.

Principia in antec. exposita applicantur ad transactionem.

Transactio est conventio (§. 3.) et quicquid de conventionem generatim valet, ad transactionem quoque potest applicari

applicari. Hinc principia de errore in antecedentibus Paragraphis generatim proposita, in transactionibus quoque locum habent. Si igitur in re, seu vt Icti Romani loquuntur *, in corpore, de quo transigitur, aut in iis, quae transactionis essentiam ingrediuntur, vterque transigentium errat, nulla est transactio (§. 10.). Pone me transigentem de fundo Corneliano, alterum vero de Semproniano cogitare, non erit valida transactio, ob defectum consensus. Dissentiunt enim, non consentiunt, qui de diuersis cogitant. Sic generatim dicitur, transactionem corruere ex falsis initam instrumentis **. Nam qui vsu falsorum instrumentorum transactionem obtinuit, aut sciuit falsitatem aut non. Sciens se in falsis fundans instrumentis dolose agit, et dolus vitiat transactionem (§. 7.). Si vero ignorauit, falsa esse instrumenta, vterque transigentium in eo, quod transactionis essentiam ingreditur, errauit. Est enim transactionis essentiale res dubia *** (§. 3.). Detecta igitur falsitate, constat, vtrumque transigentem errasse in eo, quod dubiam crediderint rem, quae nullum habet dubium, et sic quoad essentiale transactionis subfuerit error. Secus vero se res habet, si error transigentium non ipsius transactionis ingreditur essentiam. Nam hoc casu subsistit transactio (§. 10.). Hinc e. gr. non rescinditur transactio ob documenta nouiter reperta, si dolus abfuit a transigente †. Nam quamuis ex

C

huius-



huiusmodi instrumentis de errore constare possit, deest tamen error in essentialibus transactionis, dum causa, quae tempore transactionis fuit dubia, post documenta nouiter reperta maneat semper adhuc dubia. Cui enim ignotum est? multas esse exceptiones, quae huiusmodi documentis vim et efficaciam adimere, et dubium litis euentum reddere queunt. Lites vero transactione finitas leges resuscitari vetant ††. Caeterum contrariam sententiam defendit de LVDEWIG †††.

* L. 21. §. 2. D. de act. E. V.

** L. 42. C. de transact.

*** L. 1. D. et L. 2. C. eodem.

† L. 19. C. de transact. L. 35. D. et L. 4. C. de re iudicata.

†† L. 16. C. de transact.

††† in diss. de iure retract. transact. instr. nou. repertis: opp. Tom. I. p. 966.

§. XVI.

Applicantur ad transactionem pr. §. XI. prop.

Qui sciens alterum in errorem inducit, vt per transactionem aliquid obtineat, dolose agit (§. 11.). Et calumniator est, qui litem mouet, cum scit, se nullum ius habere. Calumnia vero non potest prodesse, imo per calumniam accepta, condici queunt *. Hanc ob causam transactio subtractis instrumentis, quibus veritas argui poterat, inita, vel mediante doli replica vel actione de dolo rescinditur **. Et qui per fallaciam coheredis ignorans vniuersa, quae in vero erant, instrumentum transactionis interposuit, non tam



tam paciscitur, quam decipitur ***. Si vero incidens solum dolus est, transactio, salva actione speciali, ad id quod interest, subsistit ****.

* A LEYSER sp. 47. m. I. sqq. GAIL lib. II. obs. 65. n. 3. MYNSINGER obs. 91. n. 5. CONSIL. HALL. Tom. I. Consil. 177. L. 65.

§. 1. D. de condicione indebiti,

** L. 19. C. de transact.

*** L. 9. §. 2. D. eodem.

**** L. 3. C. eodem.

§. XVII.

Applicatio principiorum §. XII. propositorum.

Error circa rei existentiam commissus, vitiat conventionem (§. 12.). Hinc quoque transactiones ex errore initae de re, quae talis, qualis est in transigentium intentione, non existit, valore destituuntur. Qui igitur ex errore, communem existere hereditatem putantes, eam diuidunt et transigunt, cum tamen non existat communis hereditas, transigere non intelliguntur *. Qui, testamentum existere putans, diuidendo hereditatem, transigit **, si testamenti vitium post diuisionem in lucem emergit, ex his, quae per ignorantiam gesta sunt, praeiudicium sibi non comparauit, sed solidam adhuc petere potest successionem. Nam testamentum, de quo cogitauit, non existit ***. Eadem principia locum habent, si in calculo, qui transactionis fundamentum fuit, erratum est. Errore enim calculi se exferente,





summa, de qua transactum, non existit, sed alia plane est. Inde, si detecto errore apparuerit, de minori summa per errorem calculi transactum, reliquam pecuniam adhuc soluere iubebit iudex †, nisi forsan de errore calculi specialiter fit transactum ††.

* L. 36. §. fin. D. *familiae ercisc.*

** Diuisionem transactionis speciem continere, obseruat SCHILTER *exercit.* 9. §. 5. adde L. 122. §. vlt. D. de V. O. L. 35. f. de *pactis.*

*** L. 4. C. de *iur. et fact. ignorantia* adde CARPZOV. *Resp.* lib. I. resp. 7. NATTA Tom. III. *consil.* 543.

† L. 3. C. de *transact.* WERNHER *obseru.* Tom. VIII. obseru. 427. SCHAVMBURG *comp. iur. digest.* tit. de *transact.* §. vlt. PEREZ. in *comment.* ad *tit. C. de errore calculi.*

†† L. *unica* C. de *errore calculi.*

§. XVIII.

Principia in §. XII. et XIII. exposita quatenus in transactionibus locum habeant.

Quando vero nec in corpore et essentialibus transactionis, nec circa rei existentiam transigentes errarunt, nec errore lapsus ab altero in errorem inductus est, vix error contra transactionem cum effectu allegari poterit. Error enim transigentium erit voluntarius. Dum veritas rei per iudicis sententiam haberi potuit. Hanc vero nolunt transigentes, sed potius per arbitrariam conventionem, quid pro vero haberi debeat, determinare, dubiam oblige-



obligationem tollere et nouam constituere cupiunt. Sicque non secundum veritatem causae dubiae, quae reuera est, sed secundum aliam, quae per conuentionem placuit, se obligare volunt, et inde voluntario errant. Voluntarius vero error nocet erranti, et conuenta transactio ex capite erroris infringi nequit (§. 12.) *. Quamuis igitur e. gr. ex instrumentis nouiter repertis error doceri queat, nihilominus valet transactio, si dolus deest **.

* Recte igitur Pontifex c. i. X. de *transactionibus* statuit: *post transactionem omnia instrumenta, vel quicquid aliud est, quod paribus quoquo modo aut ex temporis praescriptione seu aliter opem de lege aut quocunque privilegio ferre poterat, esse vacuum et omni virtute cassatum. et solum transactionem validum perpetuumque robur obtinere* Confil. HALL. Tom. I. p. 670.

** L. 19. C. de *transact.*

§. XIX.

Transactio non est extendenda ad non cogitata.

Errans quidem de re cogitat, ast confundit verum cum falso (§. 8.), inde differt certa ratione ab eo, qui de re non cogitat. Errans de re cogitat, ast falso. Ignorans plane de re non cogitat, et sic non consentit. Praeponit enim consensus in rem, vt cogitetur de re, et fieri non potest, vt, de quo quis non cogitauit, in eo consenserit *. Minime igitur transactio extendi potest ad non cogitata, sed potius ea, de quibus transigendo non cogitauimus, in suo



retinentur statu **, et conuentio in alia re facta, in alia re non debet nocere ***.

* FABER *rational.* lib. II. tit. XV. p. 292.

** L. 5. D. de *transactionibus.*

*** L. 27. §. 4. D. de *pactis.*

§. XX.

Ast haec regula in applicatione variis subest dubiis.

Quamuis vero regula in antecedenti paragrapho proposita recte se habeat, illa tamen in applicatione solet dubia mouere, et haud raro disceptari videmus, an haec vel illa species, ad non cogitata in transactione pertineat vel non? quod praesertim euenire potest, si post transactionem nouae species sunt repertae. De quo casu hic potissimum nobis erit agendum.

§. XXI.

Quid species nouiter repertae.

Quod igitur species nouiter repertas attinet, aliunde constat, apud Ictos sub speciei denominatione venire id, quod Philosophi indiuiduum, i.e. rem omnimodo determinatam vocare solent *. Nouiter autem repertae sunt species, de quibus tempore transactionis speciatim haud fuit cogitatum. GENVS VERO vocatur *denominatio plures sub se continens species* **.

* HEINECCIUS *Pand.* P. V. §. 147.

** NOODT *tr. de pactis et transact.* c. V.

§. XXII.

§. XXII.

Quid generalis et specialis transactio?

Omnis transactio fit de re dubia (§. 3.), quae vel genus vel species est (§. 21.), et sic transactio de genere aequae ac specie fieri potest. Illa generalis, haec specialis dicitur. Alias quoque ratione iuris intuitu rei in transactionem deductae competentis transactio vel generalis vel specialis esse potest. Illa vocatur, quae fit de omni iure intuitu rei competente. Haec vero fit de iure quodam singulari. In hoc igitur sensu transactio potest esse generalis, quae, vocabulo in alio sensu sumto, specialis est*.

- * Alii transactionem diuidunt in VNIVERSALEM, quae de omnibus litibus, GENERALEM, quae de omnibus litibus certi cuiusdam generis, et SPECIALEM, quae de negotio quodam singulari initur. ALEF de transact. cap. II. §. 22. LAVTERBACH. coll. pr. tit. de transact. §. 6. 7.

§. XXIII.

Sub transactione speciali species nouiter repertae non continentur.

Transactio specialis fit de specie quadam, i. e. re seu negotio singulari (§. 22.). Hinc transactio specialis, quia transigentes de re seu negotio singulari solum cogitarunt, ad alias res seu lites, siue tempore transactionis cognitae siue post eam nouiter repertae sint, extendi nequit, quamvis clausulae transactionis generaliter sint conceptae, e. gr.

Man



Man wolle sich aller und ieder an einander habenden Ansprüche, Rechten und Anforderungen, wie die auch immer Nahmen haben könnten und mögten, ieszigen und künftigen auf das Verbindlichste begeben. Nam generalia huiusmodi verba ex intentione transigentium sunt explicanda. Hi vero de re solum singulari cogitarunt. De hac quoque generalia verba sunt intelligenda, quippe quae generalem transactionem ratione iurium intuitu rei singularis competentium loquuntur, ideoque ad iura in aliis rebus competentia non spectant. Elegans de hac re existat rescriptum imp. DIOCLETIANI ET MAXIMIANI * cuius verba sunt: *Si de certa re pacto transactionis interposito hoc comprehensum erat, nihil amplius peti: etsi non additum fuerat, eo nomine, de caeteris tamen quaestionibus integra permaneat actio.* VLPIANVS quoque tradit **: *Transactio quaecunque sit, de his tantum, de quibus inter contrabentes placuit, interposita creditur. Et quamvis stipulatio transactioni accesserit Aquiliana, quae omnes obligationes praecedentes perimit ***, nihilominus tamen lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur* †. Qui igitur litem super detractioe Trebellianicae motam transactione finit, et non simul certam quantitatem determinat, de eius quanto transegisse haud censetur, quamvis in lite incidenter quantitatis mentio fuerit facta ††.

* L. 31.



* L. 31. C. de transactionibus.

** L. 9. §. 1. D. eodem.

*** L. 4. eodem.

† L. 5. eodem, adde ANTON. FABRI, Cod. lib. II. tit. 4. def. 6.
GAIL. lib. I. obs. 98. n. 14. STRYCK, caut. contr. sect. III. C. 7.
§. 15. sq.

†† BOEHMER *consult. et decis.* Tom. II. P. II. arg. 825.

§. XXIV.

Qui de genere transigit, transegisse quoque praesumitur de omnibus speciebus sub bocce genere contentis.

Transactio generalis fit de genere quodam (§. 22.). Genus varias sub se continet species (§. 21.), qui igitur de genere cogitat, cogitare quoque praesumitur de eo, quod sub genere continetur, i. e. de speciebus sub genere complexis. Hinc, qui transigit de genere, transegisse quoque praesumitur de omnibus speciebus *. Quamvis de iis speciatim non cogitauerit, et sufficit, quod de speciebus sub genere sit cogitatum, vel saltem cogitari potuerit et debuerit. Genus enim constat ex suis speciebus, sicut totum ex suis partibus, et omnes veniunt generis siue totius appellatione. Qui igitur de genere transigit, aduersus fidem agit, si speciem petit. Cum enim de genere conuentum, ne petatur, id quoque actum praesumitur, ne de vlla eius specie aut parte agatur, proinde ac si omnes speciatim essent enumeratae, modo tempore transactionis de iis cogitari potuerit.

D

Sic



Sic tranfigens de hereditate de omnibus rebus singularibus hereditatem constituentibus transegisse creditur **. Recte igitur imperatorum constitutione cautum legimus ***: *sub praetextu specierum post repertarum, generali transactione finita, rescindi prohibent iura.*

* GERARD. NOODT II. de *pactis et transact.* cap. V. AVERANIUS *interpretat.* lib. III. cap. XXI.

** BERGER *Consl.* P. II. arg. § 50.

*** L. 29. C. de *transactionibus.*

§. XXV.

Prima a regula antec. §. exceptio.

Si transactum de genere, transactum quoque censetur de omnibus speciebus sub genere contentis (§. 24.). Varias tamen haec regula admittit exceptiones, et fieri potest, ut transactio de genere facta ad vnam vel alteram speciem extendi nequeat. Procedit hoc, si inter tranfigentes ita conuentum est, ut quaedam specialiter sint excepta. Nam consensu fit transactio, et de eo, quod placuit partibus, censetur transactum *. Ad eas igitur, quae expresse sunt exemtae species, non pertinet transactio.

* L. 9. §. 1. D. de *transaction.*

§. XXVI.

Altera exceptio est, si transactum de genere specificè determinato.

Alia quoque exceptio a regula §. 24. suppeditata locum habet



habet in eo casu, si res in transactionem deducta, genus quidem continet, ast specificè determinatum. Genus autem specificè determinatum hic denotat, genus, de quo ex intentione paciscentium constat, se de paucioribus speciebus, quam vulgariter genus in conventionem expressum comprehendit, transigere voluisse. Constat igitur in genere specificè determinato de transigentium intentione, quod non omnes species vulgari loquendi vsu sub genere contentas, transactione comprehendere voluerint, et cum in non cogitatis et iis, quae non sunt in intentione paciscentium, consensus deficit (§. 19.); satis patet, transactionem generalem ad species sub genere specificè determinato haud contentas non pertinere, quamvis transactionis verba generatim sint concepta. Verba enim generalia ex transigentium intentione sunt interpretanda et restringenda * (§. 23.).

Casum hic pertinentem exhibet MEVIUS ** verbis: *Cum mater vidua ad secunda vota transiens communia mariti et sua bona in inventarium redigi curasset, inde divisione facta et addito pacto, ut post mortem suam liberi succedere deberent, alii marito nupsisset, postea improlis decessisset, controversia orta est inter vitricum et priuignos super inventario isto, se per id deceptum et laesum querente. Mox autem super eo transactum, certa pecunia loco portionis hereditariae vitrico priuignis solvente, velut hereditatem emente. Petita autem est a priuignis,*



velut ob laesionem enormem, transactionis rescissio et inter alia
 obtentum, praeter maternam hereditatem alias hereditates sibi
 deberi, nempe aviae et patruorum, apud vitricum existen-
 tes. - - Obstare videbatur, quod de hac transactum. Re
 tamen pensculatius trutinata, apparebat, eo transactionem non
 pertinere, quae stricti iuris est, et ad non expressa aut non
 cogitata non pertinet. Quando itaque super iis saltem bonis
 processerat, quae in inventario descripta erant, de caeteris nulla
 facta mentio, magisque super inventario, quam tota hereditate
 transactum; conclusum fuit, non obstante transactione, horum
 bonorum petitionem esse reliquam. Aliud exemplum ficit
 VLPIANVS *** verbis: Qui cum tutoribus suis de sola por-
 tione administratae tutelae suae egerat, et transegerat: aduer-
 sus eosdem tutores ex persona fratris sui, cui heres extiterat,
 agens, praescriptione factae transactionis non submouetur.
 Hic generaliter transactum est cum tutoribus de actione
 tutelae. Nihilominus transgens mortuo fratre ex eius per-
 sona, tanquam haeres, actionem tutelae contra eosdem in-
 stituit tutores, quibuscum transactum. Et non obstat ex-
 ceptio transactionis. Nam quamvis de genere, actione
 nempe tutelae, generalibus verbis esset transactum, genus
 tamen specificè erat determinatum, quia de propria solum
 portione transactum, et inde ad portionem fratris postea
 mortui transactio extendi nequit †. In dubio vero genus,
 super



super quo transactum, determinationem ex eo, quod fuit
in lite, accipit specificam ††.

* c. 6. X. de V. S.

** P. VI. decis. 149.

*** L. 9. pr. D. de *transact.* ob stare videtur L. 122. §. vlt. de V. O.
ast conciliationem dedit NOODT l. c. c. V.

† alium casum exhibet a BERGER P. II. resp. 128.

†† Inde est, quod Icti dicant, transactio non habet vim ultra ea,
quae in lite fuerunt, de his enim solum transactum praesumitur.
BERTIUS *respons.* T. I. resp. 56. nr. 12. et elegans, qui huc facit,
casus legi potest apud MEYIVM P. IX. decis. 136.

§. XXVII.

*Tertia exceptio est, si in transactione generali alterius do-
lo factum, ut de speciebus quibusdam non fuerit
cogitatum.*

Dolus impedit consensum ideoque nullam reddit con-
ventionem (§. 7.), immo aequitas non permittit, ut ex do-
lo suo alter lucrum retineat. Si igitur alterius dolo factum,
ut generaliter transigens, de omnibus rei cogitare haud po-
tuerit speciebus, transactio quoque harum specierum intui-
tu nullum habet valorem, sed earum petitio adhuc datur,
et opposita exceptio transactionis doli replica eliditur.
Rem illustrat MODESTINVS *, verbis: *Tres fratres Titius,
Maeuius, et Seia communem hereditatem inter se diuiserunt,
instrumentis interpositis, quibus diuisisse maternam hereditatem*



dixerunt: nihilque sibi commune remansisse cauerunt: sed postea duo de fratribus, id est, Maenius, et Seia, qui absentes erant tempore mortis matris suae, cognouerunt, pecuniam auream a fratre suo esse subtractam, cuius nulla mentio instrumento diuisionis continebatur. Quaero, an, post pactum diuisionis, de subrepta pecunia fratribus aduersus fratrem competit actio? Modestinus respondit, si agentibus ob portionem eius, quod subreptum a Titio dicitur, generalis pacti conuenti exceptio bis, qui fraudem a Titio commissam ignorantes transegerunt, obiciatur: de dolo utiliter replicari posse. Alium huc spectantem casum legimus apud HORNIVM **,

* L. 35. de pactis adde L. 42. C. de transact.

** HORN in consult. Class. XIV. arg. 10. p. 1015. LYNCKER Consult. P. II. arg. 46. n. 28. imo interdum praesumitur alterum dolose occultasse species: MEVIUS P. IV. dec. 31. LANGENBCK de transact. cal. §. 14. HERTIVS resp. 584.

§. XXVIII.

Quarta exceptio, si species improprie solum sub genere continetur.

Porro quoque transactio generalis ad eas species, quae sub genere saltim improprie comprehenduntur, regulariter non pertinet. Semper enim verba in eo sensu accipienda sunt, quem recte intelligentes eis tribuere solent *. Hinc de improprio verborum sensu cogitasse transigen-



figentes, non praesumitur, eorumque intentio, quamvis de genere transactum, ad species, non nisi improprie sub genere complexas, extendi nequit, nisi aliter expresse conventum. Sic vxor, quae transigendo promisit, omnia, quae ex bonis mariti quoquo modo ad eam peruenerunt, heredibus mariti instar fideicommissi, restituere, ad restitutionem dotis ex bonis mariti iure praelegati acceptae non tenetur **. Nam verba omnia, *quae ex bonis mariti quoquo modo peruenerint*, generalia sunt, et sub iis dos ex bonis mariti vxori restituta non nisi improprie continetur. Hanc vxor non tam accipit a marito, quam id, quod iam proprium est, recipit ***. Porro transactio de vasalli hereditate generaliter concepta, ad feudum, cuius nulla in transactione specialis mentio est facta, haud pertinet ****. Nam feudum ad vasalli hereditatem non nisi improprie referri potest †. Simili modo transigens generaliter de hereditate defuncti, non transigisse praesumitur de fideicommissio familiae, quippe quod in hereditate non nisi improprie existit, et iure singulari seu proprio in fideicommissarium transit ††. Minime vero pro speciebus improprie talibus haberi possunt, quae vel ipsa lex ††† vel transigentium clara intentio ad genus in transactionem deductum referri voluit.

* C. 7. X. de sponalibus.

** L. 77. §. 12. D. de legatis 2.

††† L. 2.



*** L. 2. §. 1. D. de dote praelegata. adde AVERANIUM interpretat:
Lib. III. cap. 21. n. 7.

*** HEINECCIUS *consil. et decis. resp.* 19.

† Nam in feudum non succeditur ex iure ultimi defuncti, sed primi
acquirentis et inde recte ab hereditate vasalli separatur II. F. 45.

†† a BERGER *consil. P. I. conf.* 409.

††† e gr. quasi usufructus est species usufructus improprie talis.
Quia tamen hiece usufructus ex legum dispositione pro usufructu
habetur, sine dubio is, qui transigendo alicui usufructum
omnium bonorum concedit, nominum quoque aliarumque rerum
fungibilium, quasi usufructum concessisse praesumitur arg. L. 24.
D. de usufr. legato.

§. XXIX.

*Excipiuntur quoque illae species, de quibus tempore trans-
actionis cogitari haud potuit.*

Simili quoque modo sub generali transactione non
continentur illae species, de quibus tempore transactionis
cogitari haud potuit, vel quia species nondum existit,
vel utriusque transigentium fuit ignota. Nam de quibus co-
gitari non potuit, de iis quoque consensus deficit. Quo
deficiente transactio cessat (§. 4.). Nec obstat, quod de
genere sit cogitatum, dum exinde solummodo nascitur,
praesumptio, quod de specie quoque sit cogitatum (§. 23.).
Haecce vero praesumptio cedit veritati *. Recte igitur se
habet VLPIANI sententia, dum in casu proposito definit **.
*Ei, qui nondum certus, ad se querelam contra patris testamen-
tum pertinere, de aliis causis cum aduersariis pacto transegit:
tantum*

*tantum in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur. His tantum transactio obest, quamvis maior annis viginti quinque eam interposuit, de quibus actum probatur: nam ea, quorum actiones competere (ei) postea compertum est, iniquum est, perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur. Porro transigens de fideicommissio, repertis postea codicillis, quibus maior summa relicta est, id, quod transigendo minus acceptum, adhuc petere non prohibetur. Quia de non specie, fideicommissio nempe codicillari, tempore transactionis cogitari haud potuit. Sic enim SCAEVOLA *** cum transactio propter fideicommissum facta esset, et postea codicilli reperti sunt; quaero, an quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quam pro parte sua est, id ex fideicommissi causa consequi debeat? respondit, debere. Consentit CELSVS †. Sibi ipsi quidem contrarius videtur SCAEVOLA, dum alio loco †† sic scribit: Heres eius, qui post mortem suam rogatus erat, universam hereditatem restituere, minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat, his, quibus fideicommissum debebatur, restituit. Postea repertis instrumentis, apparuit, quadruplo amplius (in) hereditate fuisse. Quaesitum est, an in reliquum fideicommissi nomine conveniri possit? Respondit, secundum ea, quae proponerentur, SI NON TRANSACTVM ESSET, posse. Si igitur transactum est de fideicommissio, et deinde instrumentis*

E

repertis



reperitis constat, quadruplo amplius in hereditate fuisse, quam restitutum est fideicommissario, vi huius legis, reliquum a fiduciario fideicommissi nomine exigi nequit. Minime vero a se ipso dissentit SCAEVOLA. In utroque enim textu diuersi proponuntur casus. In priori casu fideicommissarius transigit de parte hereditatis fideicommissi iure relicta in testamento. Postea reperiuntur codicilli, quibus aliud fideicommissum relictum est, de quo tempore transactionis nec cogitatum, nec cogitari potuit, quia nondum reperti erant codicilli, de hoc fideicommissio disponentes. Et quae super fideicommissio in testamenti tabulis relicto erant conuenta, ad nouum in codicillis postea repertis relictum extendi non poterant, quippe de quo ob vtriusque partis ignorantiam transigi non potuit. In posteriori textu casus plane diuersus est. Praeponitur enim fideicommissi iure relictam esse vniuersam defuncti substantiam, de qua lis orta, quae postea accepta minori quantitate, per transactionem est decisa. Huiusmodi transactio rescindi nequit sub praetextu, quod minori pretio sit transactum. Non ignotum erat fideicommissario, sibi integram deberi hereditatem, aut litem metuebat, quam transactione magis componere, quam incertum euentum expectare volebat. Noui postea non reperti sunt codicilli, ex quibus de nouo constaret fideicommissio. Sed solum noua reperta sunt instrumenta,

menta, ex quibus apparebat, fideicommissarium minorem accepisse quantitatem, quam exigere potuisset. Exinde iusta transactionem rescindendi causa haud nascebatur. Quia maior quantitas transigendo erat remissa (§. 4.), et ex nouiter repertis instrumentis transactio non rescinditur (§. 15.).

* SCHAVMBURG *comp. iur. digest.* lib. XXII. tit. 3. §. 13. *DOEUMER de collis. praesumt.*

** L. 9. §. 3. D. de *transaction.*

*** L. 3. §. 1. eodem.

† L. 12. D. eodem.

†† L. 78. §. f. D. *ad Sc. Trebell.*

§. XXX.

Alia quoque exceptio est, si transigentes iusto inducti errore putarunt, rem quandam ad genus, de quo transactum, referri non posse.

Vnicum addam adhuc casum, quo sub generali transactione species non continetur. Est nempe is, quo de genere transigens iusto ex errore ignoravit, speciem ad genus, de quo transactum, pertinere. Habemus in hanc rem clara legis verba *. *Sub praetextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibent iura. Error autem circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentium tempore transactionis constitutae, nihil potest nocere.* Patet ex hac lege transactum esse de genere, postea



vero species quasdam esse repertas, et alterum transfigen-
 tium exinde rescissionis causam petere voluisse. Ast re-
 spondent imperatores **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS**
 in allegata lege: *sub praetextu specierum post repertarum*
rescindi non posse transactionem. Mox vero regulae quan-
 dam addunt limitationem: *quod error circa proprietatem rei*
apud alium extra personas transigentium tempore transactio-
nis constitutae non noceat. Et recte. Nam quamuis de ge-
 nere fuerit transactum, et cogitans de genere, de omnibus
 quoque speciebus cogitasse praesumatur; in nostro tamen
 casu praesumptio cedit veritati. Constat enim de errore,
 quoad rei existentiam, quia non putarunt transigentes,
 speciem postea repertam generi in transactionem deducto
 subesse. Constat hunc errorem fuisse iustum, quia res
 tempore transactionis apud alium erat constituta, qui pro
 domino est habitus. Hinc transigentes de specie apud
 alium tempore transactionis constituta, vel plane non, vel
 non tanquam de sua, cogitarunt, et inde extra dubium est,
 hancce rem apud alium constitutam iusta ex causa in spe-
 cierum numero non cogitasse transigentes, sicque de hac
 specie non censi transactum, imo nec transigi potuisse,
 quia de re tempore transactionis apud alium extra transi-
 gentes constituta inter hos nec lis erat nec esse poterat.
 Omni vero super re quadam lite cessante, cessat quoque
 trans-



transactio (§. 3.). Hinc error commissus quoad res extra personas transigentium constitutas non potest nocere. Finge, intercessisse mihi litem cum tutore seu procuratore de mala rerum mearum administratione. Finge hanc litem transactione generali compositam, qua omnibus iuribus, actionibus et praetensionibus contra huncce tutorem competentibus renuntiatum. Finge rem quandam meam tempore transactionis apud alium existisse, deinde vero hancce rem post transactionem initam ab eo, qui fuit tutor seu procurator meus, esse adquisitam, et me detecto errore hanc rem vindicare. Non obstabit exceptio transactionis, generaliter licet inita, dum de hac re tempore transactionis non cogitauimus. Transactum est de actione et lite inter transigentes, non de actione contra alium competente. Et promissum, ne abs te petam, non impedit petere ab alio. Diuersa vero ratio est, si res tempore transactionis non extra personas transigentes, sed apud ipsum tutorem seu procuratorem, quo cum transactum, existit. Quo casu error nocet. Nam species apud ipsos transigentes existentes in lite super genere mota erant complexae, ideoque sub generali transactione, nisi specialiter sint exceptae, continentur. Nec obstat, quod alter transigentium intuitu huius speciei errauerit. Est enim eius error voluntarius, quem euitare, potuisset et debuisset **. Quod dum non fecit, error nocet (§. 19).



* L. 29. C. de *transacionibus*. Est haec lex frequentissimi in foro usus et mirum est, omnes fere commentatores eam neglexisse. Varia quidem ad eius illustrationem afferunt IASON, MORNACIVS, BRVNNEMANNVS aliique in suis commentariis, aut rem confundunt magis, quam illustrent. Adde GERARD. NOOD tr. de *pacr. et transact.* c. V. VINNIVM de *transact.* cap. VIII. §. 16. seq.

** Potuisset error evitari, si transigens inventarium seu specificationem iuratum rerum penes alterum existentium exigere voluisset. Debuisset error evitari, quia is, qui speciem a genere eximere cupit, singulare quid in intentione habet, adeoque clare loqui et errorem ac obscuritatem evitare debet. L. 99. pr. de V. O. BOEHMER de *interpretat. facienda contra eum qui clarius loqui debuisse*, a LEYSER *spec.* 4r. m. 4.

§. XXXI.

Transactio generalis quamvis laxissimis clausulis instructa extendi nequit ultra genus transactionis.

Transactionis generalis effectus ratione omnium se exferit specierum, quae sub genere, de quo transactum, continentur (§. 24.). Minime vero se extendit ad alias species, quae ad genus transactum referri nequeunt. Et quamvis generales transactioni adiectae sint clausulae et renuntiationes, illae tamen minime ultra id, quod obiectum transactionis fuit, sunt extendendae. Sic qui super eo, quod ex pluribus contractibus debebatur, postquam vtrinque debita in rationes redacta et computata sunt, transigit, et generalem transactioni addit clausulam: omnes conventiones ex quocunque contractu vanas et pro cancellato habendas; nihilominus veteres obligationes, quae in computum non venerunt, et de quibus



bus specialiter non est cogitatum, adhuc habet saluas. Prout recte respondit Scaeuola *.

* L. 47. §. 1. D. de pactis.

§. XXXII.

Transactio generalis interdum nulla est ob species nouiter repertas.

Transactio generalis ob species nouiter repertas non rescinditur (§. 24.). Si vero quaedam species expresse a transigentibus sunt exceptae (§. 25.), aut sub genere specificè determinato non continentur (§. 26.), aut dolo alterius factum est, vt de speciebus quibusdam non fuerit cogitatum (§. 27.), aut nouae species improprie solum sub genere sunt (§. 28.), aut de iis tempore transactionis cogitari haud potuit, (§. 29.), aut transigentes iusto inducti errore rem quamdam ad genus, de quo transactum, referri non posse crediderunt (§. 30.); transactio ad hasce species non pertinet, earumque intuitu est nulla. Hinc obligationes, actiones et iura, quae transigentibus ante transactionem competebant, quoad hasce species in pristina manent causa, indeque non solum alter transigentium, sed quoque tertius interdum possessor ob species a genere exemptas conueniri potest, nec agenti obstat exceptio transactionis.

§. XXXIII.

Dantur casus, quibus ob species repertas transactio in totum corruiit.

Minime tamen negamus, dari casus, quibus ob species nouiter existentes seu repertas transactio in totum corruiit.

Fieri



Fieri hoc potest, si noua species ita est comparata, vt eius ex-
 istentia totum transactionis fundamentum destruat. Quod
 praesertim eo in casu procedit, quo species nouiter reperta
 efficit, vt constet, transigentes errasse circa existentiam rei,
 super qua principaliter est transactum. Nam huiusmodi
 error inuvalidam reddit transactionem (§. 17.). Casus huc
 spectat sequens. Caius in testamento Sempronio aedificium
 quoddam iure perpetui familiae fideicommissi relinquit. Su-
 per hocce fideicommissio, lite inter heredem et fideicommiss-
 fariam orta, fit transactio. Postea reperti sunt codicilli, qui-
 bus translatio rei fideicommissariae facta, et in locum aedifi-
 cii fundus **Cornelianus** est substitutus. Hunc iure exigit fidei-
 commissarius (§. 29.) atq, quia constat, per nouum in codicillis
 constitutum fideicommissum antea in testamento relictum
 esse sublatum, merito transactio de priori inita corrui-
 dit. Idem quoque obtinet, si ob species nouas casus, quem re-
 spexerunt principaliter transigentes, non amplius existit
 vel existere potest. Quod exemplo proposito illustrat de
LVDEWIG *. Imo alia adhuc afferri possent exempla, nisi
 temporis, quo circumscripti sumus, ratio, nobis necessita-
 tem imponeret, abrumpendi filum.

* **CONSIL. HALLEN.** Tom. II. lib. II. arg. 31. qu. 6.

F I N I S.

MON.



MONSIEUR,

Comme il n'y a pas toujours des amis vrais et sinceres, il y en a encore des adversaires, qui ne le sont, qu'en apparence. Vous avez jugé à propos de me mettre au rang de ces derniers.

Je l'accepte avec d'autant plus de plaisir, que je Vous en cède très volontiers la victoire, pour Vous convaincre par là, que je suis également de ceux, qui Vous conservent une amitié sans fard.

C'est par cette raison, que je Vous félicite en même tems du meilleur de mon coeur des honneurs, dont Vous rendez digne en ce jour. Elles Vous franchissent le pas à bien d'autres, qui Vous attendent dans Votre patrie; et ce sera toujours avec beaucoup de satisfaction, que je verrai accomplir les voeux, que je fais à cet égard.

Sayez en bien persuadé, Monsieur, comme aussi des nouvelles réitérations, que je Vous fais, des sentimens d'estime, avec les quels je suis

MONSIEUR,

à Jene

le 2. de May 1759.

Votre très humble et très obéissant
serviteur

F. V. C. D. LYNAR,

Membre hon. d. l. Sec. allem. et lat. à Jene.

F

PRAE-






PRAENOBILISSIMO DOCTORANDO
DOMINO
GABRIEL CHRISTOPH. LEMBKE

S. P. D.

P R A E S E S.

Quamuis, teste IAVOLENO, omnis definitio in iure civili sit periculosa, et parum absit, vt non subuerti possit; TVO tamen, VIR PRAENOBILISSIME proposito, quo materiam admodum difficilem, de iure circa transactiones ob species nouiter repertas definiendam suscepisti, meum addo calculum. Nam quod in euoluenda re tam obscura subisti periculum, mea ex sententia; feliciter superasti, et dissertatio inauguralis, quam mihi exhibuisti, optimum est documentum egregiae, quam TIBI comparasti, legum cognitionis, earumque rerum, quae in foro praestant vsum. TIBI igitur gratulor de specimine erudito et dignitate, qua TE dignum iudicauit Iureconsultorum ordo. Gratulor quoque optimo parenti, de filio omni scientiarum genere et dignitate doctoris ornato in patriam reduce. Supremum modo largiatur numen, vt patriae rebus eruditione, quam TIBI adquisiisti haud vulgarem, ad seram vsque aetatem inferuias. Vale et me, vt cepisti, amare, perge. Ienae Kal. Maii MDCCCLVIII.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO
IVRIVM DOCTORANDO

DIGNISSIMO
 AMICO SVO COGNATIONE CONIUNCTO
 SVAVISSIMO

S. P. D.

LAVRENTIVS IOANNES DANIEL SVCCOW
 PHYSICES P. P. O.

Iucundus **TIBI**, vir praenobilissime, tuisque amicis exoritur dies, quo laudes, quas optime mereris, atque praemia bene impensi laboris, **TIBI** comparare, notaque optimorum parentum, pariter a spem eorum, qui **TE** haud fucata amicitia prosequuntur, implere vales. Satis superque olim perspexisti ad deprauandum parata tempora, quae saepissime, ut, quae peragenda sunt, minus recte peragant, mortales alliciunt. Sed conamina, quibus excellis laudabilia, adeo non permisserunt, ut viis his lubricis **TE** committeres, ut eas potius omni industria euitare didiceris. Quae exstabant incitamenta, motiva euaserunt caute agendi: Sapientia, qua polles, media **TIBI** sufficientia ad scopum propositum obrinendum porrexit; et, quae **TIBI** propria est, laudabilis ambitio nequaquam concessit, ut a stadii, quod decurrere coeperas, sine coronante, aberrares. Sic igitur factum est, ut, quae molesta esse poterat temporis in academia peracti recordatio, iam exquisito **TE** gaudio, summaque voluptate, adfingere possit. Quid enim laudabilius **TIBI** accidere potest, quam doctorales honores, quos, ubi bene mereris, ita tanquam praemium **TVARVM** incubrationum hodie accipies? Fruere hac fortuna **TVA**; sis patriae utilitati, parentibus optimis, gaudio, quorum spem non adimpleres tantum, verum etiam superas. Lactare de voluptate, quam ex hoc die, **TIBI** adeo honorifico, capiunt amici **TVI**, **TIBI** applaudentes, **TIBI** fausta quaeuis precantes. Quorum quidem ego non sum ultimus, qui id mihi officio duco, ut honores, quos accipies, **TIBI** ex animo gratuler. Quo maior ea est, qua polles cognitio iurisprudentiae, eo maior erit felicitas, ad quam **TVA** **TE** virtus extollet. Neque opus erit, ut anxie quaeras gloriam: in **TE** enim hoc **PLINII** tritum cader: gloria non appeti, sed sequi debet. Quando autem satis superque fundata erit felicitas **TVA**, quod breui futurum praecideo, recorderis mei, velim, benevole, credas, quae me semper futurum **TVO** nomini deditissimum. Vale. Scrib. Ienae
 d. XXIX. Apr. A. R. S. MDCCLVIII.

F 2

VIRO

VIRO



V I R O

PRAENOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO
 GABR. CHRISTOPHORO LEMBKE
 AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

D. IO. LVDOVICVS SCHMIDIVS.

Nemo, VIR PRAENOBILISSIME, qui praecclaras ingenii TVI
 dotes aeque, ac singularem TVAM humanitatem noscit, du-
 bitare profecto potest, TE viam ad dignitatem, quae omnium
 est in iure maxima, maximo quoque cum honore nunc in-
 gredi. Itaque me quasi reprehendum esse existimo, qui TE,
 VIR PRAENOBILISSIME, laude mea adhuc cohonestare au-
 deam, quum ipsae TVAE virtutes iam sine laudatione omnibus
 existimationem TVAM sat luculenter testificari valeant. Proinde
 TIBI potius persoluo gratias, quod dissentientis partes in me
 conferre atque etiam me publicae TVAE ex certamine litterario
 mox reportandae gloriae testem esse benigne voluisti. Gratulor
 TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, et sincera quidem mente,
 de amplissimo dignitatis gradu, ad quem illustis Iurisconsulto-
 rum nostrorum ordo TE efferre optime constituit. Et quum
 spes, quae TIBI exoptatissimam rerum TVARVM sortem polli-
 cetur, omnibus, qui TIBI bene cupiunt, certissime augurari
 imperet, TE omnigenae felicitatis factum iri compotem; ego
 quoque summum numen supplex veneror, vt omnia TIBI
 fausta atque fortunata esse iubeat. Praeterea, vt me in
 posterum amore ac favore TVO complecti pergas, hoc
 est, quoddenique abs TE magnopere rogo. Ienae d. II. Maji
 anno CIOCCCLVIII.

V I R O



V I R O

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO,
IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO,

AMICO SVO LONGE AESTVMATISSIMO

P. S. D.

CAROLVS FRIDERICVS BVRMEISTER

OPPONENS. VISMARIENSIS.

Quum per longam annorum seriem ab infantia inquam tanta tecum mihi familiaritas ac consuetudo fuit vt nulla maior esse possit, facere non potui, quin tempus illud iucundissimum grata recolam mente. Dulce solum patriae arctissimo vinculo nos coniunxit et ipsa Salana exortam amicitiam confirmavit et adauxit. Nihil igitur iucundius ac gratius mihi accidere potuisset quam exoptatissima occasio, laetitiam, qua hodie adficior, TIBI significandi. Properas ad cathedram ICTORVM, ex qua dissertationem TVAM inauguralem mirabili dexteritate defendes. Vt vero ipse testis sim victoriae, quam ex hoc certamine reportabis; munus opponentis quod lubentissime suscipio, mihi detulisti. Proinde permittas, VIR PRAENOBILISSIME, vt sine verborum lenociniis, congratulationibus, quae quaqua versum personant, laetissimis, quoque applaudam. Gratulor patriae ciuem multis honoribus dignum, PATRI filium eruditum, mihi denique gratulor, abitum in patriam meditantem contingere, vt me non solum comitem, sed quoque testem praemiorum, quae TE in posterum manebunt, habeas. Vale mihi que favere perge. Dabam Ienae d. XXVI. April. Anno MDCCLIX.

MON-



MONSIEUR,

Je n'ai cherché qu'une occasion pour Vous prouver publiquement l'estime et l'amitié particulière que je Vous ai vouée; et je me rejouis d'en avoir trouvé la plus favorable du monde. Vous allez cueillir les fruits de Votre diligence: Les lauriers sont déjà préparés pour couronner Vos soins et pour récompenser Vos mérites. Je joins mes félicitations à celles de Vos Amis, et en Vous témoignant ma joie et mon zèle, je Vous fais mes remerciemens de ce que vous avez voulu me choisir pour m'opposer à votre solide dissertation. J'attendrai avec impatience une occasion favorable pour Vous pouvoir rendre mes services et pour Vous montrer réellement que je suis,

MONSIEUR,

à Jene
le 26. Avril 1759.

Votre très humble Serviteur.

B. DE DEWITZ

du pais de Mecklenbourg.



bald. in confi.
monium per
um dotis post
tuum c. 37. q. 2.
ticitia & fron
inūs premunt
Alex. conf. 98. &

illepide auc
ans coactionem,
a arridet Eub.
b. t. per lex. ca. 7.
eodem funda
e possunt, text.
asserere possu

implorato ni
atu sunt relin
vi innoc. Et hoc
lit. §. condema
tem morandz
linat Magn. Dn.
f. Obs. 100. Mar
ve ita Bustus in
nos de Rhede,
fflorio, coactus
recuperat, in
tionem qua
; qua de sigilla

re sunt inventa,
unc ordine hic
n aliud tempus





00 A 6387

ULB Halle 3
002 916 592




VD 17

VD 18







Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

...O INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

...D OB SPECIES
...ER REPERTAS

CIRCA

...ACTIONES IVRIS EST

QVAM

...ENTE DIVINA GRATIA
...LVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

...P R A E S I D E

...TRI ET EXCELLENTISSIMO

...STO HELLFELD, D.

...PROFESSORE PVBL. ORDIN.

...VRIAE PROVINC. ET FACVLT. IVRID. ADSESS

...GII SCABIN. SENIORE GRAVISSIMO

...ATQVE PATRONO PIE COLENDO

...L I C E N T I A

...VTROQVE IVRE HONORES .

...OBTINENDI

...ERVDITORVM DISQVISITIONI

...DIEM II. MAII MDCCCCLIX.

...S V B M I T T I T

...A V C T O R

...CHRISTOPHORVS LEMKE

...VISMARIENSIS.

...LITTERIS SCHILLIANIS.

(7)